

TIT. L.—NE CLERICI, VEL MONACHI SÆCULARIBUS NEGOTIIS
SE IMMISCEANT.

Cap. 1. *Multa*.—Clericis prohibetur:—1.º Accipere vel dare injusta munera.—2.º Conductio alicujus personæ pro sæculari quæstu.—3.º Contentiones vel rixas facere.—4.º Causas agere, excepta defensione orphanorum vel viduarum.—5.º Conducere bona sæcularium.—6.º Joculatores agere.—7.º Aleas amare.—8.º Ornamentum indecens ferre.—9.º Deliciosè vivere.—10. Gulam et ebrietatem sequi.—11. Ponderibus vel mensuris injustis uti.—12. Negotium injustum exercere.—13. Canes et aves ad vendandum nutrire.

2. *Sacerdotibus*.—Clerici non debent esse ministri vel procuratores laicorum; quod si contra fecerint, et deprehendantur in fraude, non subvenitur iis ab Ecclesia.

3. *Non magnopere*.—Religiosi professi exeuntes ad audiendas leges vel phisicam, nisi intra duos menses ad claustrum redeant, excommunicati sunt, et in nulla causa patrocinari possunt; et in choro, et in capitulo et ceteris erunt ultimi, et sine dispensatione Papæ non promoventur.—* Vide ampliationem Elencho I. n. 51 **

4. *Sed nec*.—Clericus generalis procurator, vel Justitiarius Principis sæcularis deponendus est: et si Religiosus est, gravius punietur.

5. *Clericis*.—Clericus judicium sanguinis exercens, ab officio et beneficio deponitur, et excommunicatus est habens officium Præpositi sæcularis, si monitus non desistat.—* Hæc excommunicatio est latæ sententiæ, sed non reservata, et secundum magis communem officit solos Sacerdotes exercentes tale officium cum jurisdictione ordinaria; Thesaur. verb. *Judeæ* c. 2. **

6. *Secundum*.—Non licet Clericis vel Monachis lucri causa negotiari.—* Vide Elencho IV. n. 38. **—Monachi nequeunt nomine proprio conductas possessiones habere.—Laicis non debet Ecclesia titulo conductionis concedi.

7. *Relatum*.—Monachi incorrigibiles de monasterio expelluntur, et reformabitur monasterium de Fratibus alterius Ordinis, si de Monachis ejusdem Ordinis reformari non potest.—* Circa ejectionem incorrigibilium vide in Auctore lib. III Tit. XXXI. §. 4. n. 316. **

8. *Sicut*.—Clerici in sacris compellendi sunt per beneficiorum subtractionem, ut desistant à tabellionatus exercitio.—* Vide moderationem Elencho I. n. 52. **

1 Ex Conc. Magunt.

2 Eug. III. Luc. II. Archiep.

3 Al. III. in Conc. Tur.

4 Idem in Conc. Lao.

5 Idem Cantuar. Archiep.

6 Idem Lund. Ep.

7 Idem eidem.

8 Idem Ep. Asculan.

9. *Sententiæ*.—Clericus nec dictare, nec proferre sententiæ sanguinis debet, nec quidquam aliud exercere, per quod ad vindictam sanguinendatur, vel purgationi vulgari opem præstare non debet.

10. *Super specula*.—Constitutionem Turon. Concil. relatum in cap. Non magnopere 3. supra, extendit ad habentes dignitates et personatus, et ad Presbyteros.—* Verbum *Ad legendas* quo Alex. III. usus est in cit. c. 3. hic declaratur intelligi *Ad audiendas*. Uterque tamen textus est contra Religiosos audientes et docentes has facultates extra claustra tantum. Unde prohibitio non extenditur ad audientes et docentes intra claustra. Vide moderationem Elencho I. n. 53. **

IN SEXTO.—Ibi tit. XXIV.

Cap. 1. *Statutum*.—Capitulum *super specula* prohibens audientiam legum et phisicæ, non includit paræciales Ecclesias habentes nisi sint plebanicæ habentes sub se capellas, in quibus Clerici perpetuò instituantur.

2. *Ut periculosa*.—Excommunicatus est ipso facto religiosus professus habitum temerariè dimittens, vel ad quæcumque studia accedens, non obtenta licentia et Prælati, et conventus. Doctores scienter docentes, vel in scholis retinentes ad leges vel phisicam tales religiosos similiter excommunicationem incurrunt.

3. *Episcopus*.—Clericus in loco temporalis jurisdictionis suæ super delicto ibi commisso delegans aliquem, ut veritate inquisita, justitiæ exequatur, non fit irregularis, licet pœna sanguinis inferatur.

9 Idem in Conc. Lat.

10 Honor. III. Patriar., et cæter. Præl. Antioch.

1 Bonif. VIII.

2 Idem.

3 Idem.